

No 4128 *

UNIV. U. LANDESBIBLIOTHEK
HALLE
ISAALEI

AB . 166078





DISPUTATIO
THEOLOGICA

DE CAUSA
PECCATI

*Ad cuius positiones auspice patre illo luminum, à
quo omne bonum de super est.*

SUB PRAESIDIO

Georgii Mylii Doctoris, &
Professoris Theologi primarij in Aca-
demia Ienensi.

PUBLICE RESPONDEBIT

M. Henricus Hollcherus Osnab.
Vestph.

Cal. Martij, Hora & loco consuetis.



IENAE

Ex Typographico TOBIAE STEINMANNI,
CIC. ID. C.





Magnificis, amplissimis, pietate,
te, doctrinâ & virtute præstantibus viris Dn.
IOANNI Wildten & Dn. IVSTO
Dröppf Cols. primarijs, reliquisque Senatori-
bus inclutæ Ofsnaburgensium Reipubl. Patri-
bus patriæ vigilantissimis, Dominis & patro-
nis suis summâ observantiâ animique
subiectione perpetim
colendis

Hoc primum studiorum Theo-
logicorum *ἐπίδειγμα*
inscribit & dedicat
M. Henricus Holscherus
Resp.





Thesis I.



E causa Mali seu Peccati vertitur inter homines quæstio, ut vulgata, & antiqua: ita gravis etiam atq; ardua.

2. Personant huius quæstionis strepitu non Philosophorum tantum *Φηλοσοφία*: sed Theologorum etiam cathedræ atque auditoria.

3. Antiquitate autem controversias alias omnes, huius quæstionis agitatio superat.

4. Nam protoplasti, peccato admissio, suæ hæreseos & *ἀποστασίας* primæ sedem in hac materia posuerunt, Deo ipsi de hac quæstione lite mota, dum alter quidem causam peccati, à vero ac proprio principio removit (Serpens decepit me) alter verò ad alienum principium falsò eandem retulit, Mulier, quam dedisti mihi, Genes. 3. 12. 13.

5. Gravitas quæstionis tanta est, ut qui in ea errat, non in fundamento tantum: sed in principio etiam ipso religionis Christianæ errare videatur.

6. Est autem in hoc problemate de specie mali, aut peccati non una: sed omni (si pro synonymis ista accipiantur) de tota Mali seu Peccati universitate quæstio.

7. Causæ titulo, Efficiens notatur, *τὸ αἰτιον τὸ ποιῆν ἢ ἐνεργητικόν*: non mediata tantum atque proxima: *τὸ ἐμμεσον*: sed principalis etiam atque prima, *τὸ πρῶτον καὶ ἀρχιγονον*.

8. Cum ergo de peccati causa quæritur, illud

quæritur, quod nam agendi proprium sit principium, à quo ἐνεργητικῶς operante, vel mediatè, vel immediatè, effectus peccati, & culpa mali in natura dependeat.

9. In cuius quæstionis enodatione versaturis, commodissima illa videtur esse disputandi ratio, si à falsæ doctrinæ remotione, facto initio, ad verioris sententiæ explicationem postea fiat progressio.

10. Est autem falsæ de hoc problemate Doctrinæ, cuius quidem à nati Christi temporibus, in Ecclesia propagatio aliqua facta est, illud ipsum, de quo modò dictum est, biceps divortium, quorum uno à vero principio peccati causa removeretur: altero eadem ad principium alienum perperam refertur.

11. Prius, illud fuit, quo mali & peccati peculiare, & æternum quidem: sed à vero atque uno tamen Deo diversum esse principium statutum fuit. Qui Manichæorum furor magis, quàm error fuit, quò rerum omnium duo principia inter se diversa atque adversa, eademque æterna & coæterna constituta sunt, teste Augustino de hæres. ad Quod vult Deum cap. 46.

12. Alterum hæreseos caput illud est, quo mali causa ad Deum ipsum verum, & essentia unum refertur, quæ Libertinorum & Calvinistarum est blasphemiam.

13. Contra utramvis hæresin pugnaturis nobis, in gemino quasi campo castrametatio videtur esse facienda, in quo ceu prælidio pedes figi, & ex quo ceu castello arma atque ictus nostri emitti possint.

14. Priori ergo hæresi castellum ex adverso tale opponimus, Malum seu peccatum, non est res creata, neque est in genere τῶν ὄντων, earum rerum, quæ seipsis sub-

subsistunt: sed est defectus duntaxat, & privatio, operis nimirum atque ordinis diuini horribilis destructio.

15. Innititur hoc castellum fundamento Scripturæ, Genes. 1. 31. Ex quo talis argumenti machina intorqueri potest.

Omnia, quæ sunt creata, vidit Deus valdè esse bona.
In peccati natura nihil unquam boni visum fuit. Ergo
Non est res creata.

16. Firmatur idem monumentum autoritate patrum gravissima. Ex quibus Dionysius Areopagita lib. de divinis nominib. Basilus in hexaemero, atque alij complures disputant, Malum seu peccatum esse *ἐκ τῶν μὴ ὄντων*. Quæ etiam Philosophorum communis fuit sententia.

17. Accedit irrefragabilis ratio. Omnis enim res atque essentia, quatenus talis, bona est: vel ut Augustinus loquitur lib. 83. quæst. q. 21. Omnia quæ sunt, in quantum sunt, in tantum bona sunt. Peccatum seipso nunquam bonum est.

18. Concludimus ergo, dogma, ab autore suo, insanum verè nuncupari, si peculiaris statuatur esse Deus, qui sit peccati & mali conditor atque autor, potentia atque æternitate vero Deo prorsus equalis.

19. Erroris causa hæreticis istis videtur fuisse gemina: prior, quod causæ universalis ius & ratio: altera, quod mali & peccati natura, parum rectè ab istis considerata fuit.

20. Equidem in particularium effectorum causis contrarietas invenitur: & invenitur quidem necessario, si causarum & effectum aliqua *ὁμογένεια* esse debeat.

21. Verum hinc non est consequens, contrarietati isti in causis, ad primum usque principium, statim etiam locum esse.

22. Contrariis n. omnibus cum sub uno communi genere locus sit: sub unam etiam aliquam causam tandem veniant, necessum est, qualis vel maxime est causa illa prima & universalis, quæ totius entis in natura principium summum atque primum merito constituitur.

23. Iam mali natura perperam etiam ab istis ad ordinem essentiarum relata fuit.

24. Atqui essentia ipsa malum esse nihil potest; siquidem quicquid est, quatenus est, bonum est.

25. Peius ab istis summum aliquod malum & mali principium æternum in suo genere esse statutum fuit, sicut ex adverso summum bonum ponitur.

26. Nam si summum est, nil nisi sui generis proprium secum habebit. At malum omne inest in alio, tanquam subiecto: quod hoc ipso saltem nomine, quia malo subiacet, de natura mali non participet, oportet; sed sit de genere bonorum.

27. Et quia natura mali posterior est natura boni, siquidem malum est privatio boni: summum malum summo bono coæternum statui nequit.

28. Insuper malum non potest dici causa; nisi per accidens. Hæc autem semper posterior est ea, quæ per se causa est. Primæ ergo causæ aut principij summi rationem obtinere prorsus nequit.

29. Tum in eo etiam de natura mali perperam iudicatum fuit, quod ex particularibus effectis ea æstimata fuit: perinde ac si naturam ignis aut vini malam quis esse arguat, quia iste templo Ephesino: hoc, febricitanti exitum attulerit.

Atqui

30. Atqui natura boni malivè non est metienda rei alicuius particularis bono, malovè effectu: sed ex natura ipsius rei propria, & ordine, quo se quidque habet ad totum universum.

31. Nam huic vel illi bonum, malumvè esse potest, cuius longè diversissima est natura, si vel proprietatem eius nativam consideres: vel spectes ordinem, quo ad totum universum, individua & res singulares referuntur.

32. Hæresin ergo Manichæam de causa mali peccatiq; universali, per se, prima, ac summa, hoc est, æterna & conditricè essentialis mali, πρὸς τοὺς μανιχοὺς, ad furiosos & insanos remittimus.

33. Alteri Libertinorum & Calvinistarum hæresi, promontorij loco principium hoc Theologicum opponimus, Deus non est causa vel autor mali, idque neque immediatè, neque mediatè.

34. Causæ vocabulo, Efficientem intelligi, supra diximus: Cui hoc loco illud addimus, Causæ nota ista excludi, quicquid sub rationem quamcunq; ἐνεργείας siue efficacix, aut efficientix, in producendo peccati effectu venire potest.

35. Sic igitur Deus causa peccati esse pia religiositate, & religiosa pietate negatur, ut neque creare, neque vel e, neque approbare, neque decernere, aut ordinare malum: multò minus instigare, impellere aut cogere ad malum ullo modo dicendus sit.

36. Cum hoc propugnaculum natura ipsa religionis Sacrosanctæ ita sit validum & munitum, ut nullo vel aperto Marte: vel cuniculorum maleficio impugnari à quoquam homine debeat: equidem de roborando illo non laborandam esse, videri cupiã queat.

Sed

37. Sed affert huius operæ necessitatem pernicax fanaticorum improbitas, cui tria potissimum firmamenta oggerimus.

38. Primum τὸ ἀγιογράφον, Exod. 20. Leuit. 26. 16. Deut. 28. 15. Psalm. 5. 7. Psalm. 45. 8. Rom. 9. 22. 1. Thess. 4. 6. Ex quibus locis talis catapulta constructur:

Quicquid Deus prohibet, punit, odit, abominatur, nec nisi cum offensione & dolore tolerat, eius autor & causa dici nulla ratione potest.

De peccato hæc singula scripturæ allegatæ testantur. Ergo &c.

39. Iam Deus ibidem Matth. 19. 17. Solus esse BONVS affirmatur, quod non distinctionis tantum vim habet, quasi dictum sit, Deum esse solum bonum per essentiam, ut Lyra annotat: sed etiam intensio- nis, quia ita BONVS est, ut summè bonus sit, aut ut Philo- sophi loquuntur, Sit ipsum summum bonum. Hinc ergo talis machina conficitur:

Summè bonus, non potest esse autor mali.

Deus est summè bonus. Ergo &c.

40. Teste Mose, Vidit Deus cuncta, quæ fecerat: Et crant valdè bona. Genes. 1. 31. Et, Dei opera sunt perfecta. Deut. 32. 4. Hinc ergo tale telum elicetur: *Opera Dei non sunt, nisi bona & perfecta.*

Peccato neutrum competit. Ergo &c.

41. Si consensus antiquitatis requiritur, Basilii peculiari atque integra oratione testatum fecit, Deum non esse causam peccati: Insuper hoc adiiciens, Eiusdem esse blasphemiam, Negare, quod sit Deus & dicere quod sit mali causa.

42. Eusebius graviter in hunc modum scribit de Præp. Evangelical. 1. 6. c. 5. Impius profectò iudicabitur,

ca-
na-
26.
22.
ui-
nisi
luc
se
m
m
o-
ni-
nc
t:
nt
r:
us
m
s-
re
de
oi-
ar,

tur, imò verò pessimus omnium, qui à Creatore uni-
versi homines ad uitia impelli arbitratur. Vnde seque-
retur, aut hæc peccata non esse; aut peccandi causam
in Creatorem referri. Quo dogmate nihil scelestius
cogitari potest.

43. Chrysoptomi nihilo mitior est sententia, di-
centis hom. 23. in Acta Apost. Satius esse, sexcenties
terra defodi, quàm ut Deus talia à nobis audiat, Quod
ipse mali autor sit.

44. Rationum momentis plurimis & firmissimis
hoc ipsum dogma stabiliri queat. Verùm harum instar
sit ipsa Philosophiæ gentilis autoritas, ex qua apud
saniores Ethnicos omnes, Platonis illa πολιτειῶν lib.
2. sententia obtinuit, quæ sic habet: Omni contentio-
ne pugnandum est, ne quis in civitate, quam benè re-
gi volumus, vel dicat, vel audiat, seu senex, seu iuue-
nis, seu in poemate, seu in alia narratione, Deum cau-
sam alicui esse malorum: quod neque sanctè ita dici
potest: neque utile est civitati: nec secum consentit in
explicatione.

45. Removenda est autem à Deo causa omnis mali,
non immediata tantùm: sed mediata etiam quælibet.

46. Quo nomine proscripsum etiam ex Ecclesia
sinceriores Theologi esse volunt Fatum Astrolo-
gicum, quo vis sydereæ & influentia cœlestis; vel in
conceptuum & natalium: vel consiliorum atque acti-
onum humanarum momenta incidens, malorum &
peccatorum causa esse, parum religiosè fingitur.

47. Palpum huic impietati facere aliqui conan-
tur, dum se astris non vim ullam effectricem, quæ ne-
cessitatem inducat: sed quæ duntaxat inclinæ, tribu-
ere asserunt; aut alio honestiore, ut putant, effugio sibi

B

con-

consulentes, etiam ipsam inclinandi facultatem se constellationibus denegare, solamque significandi vim assignare dicunt.

48. Verum has omnes vanitates ad sufficientiam refutarit Augustinus de Ciuit. Dei l. 5. c. 1. ubi non tantum eorum rationes infringit, qui stellas in genituris infantium effectrices causas, suarum nascenti cuique sortium & fatorum, statuunt: sed & eos refellit, qui signorum vim de futura nascentium vita, moribus, fortunaque, astris tribuunt.

49. Porro adiiciendum hic est illud, dum à censu causæ in peccato Deus alienus esse docetur: non statim ab omni etiam concursu, in malis hominum actionibus, eundem secludendum esse.

50. Nam neque bonitatis, neque iustitiæ divinæ ratio hoc permetteret, quæ utraque fit, ut malorum in his terris nihil eveniat, quin aliquem divinæ actionis concursum in utramvis partem habeat.

51. Et primò quidem quia providentiæ divinæ, cui mala bonaque subiacent omnia, pars non est minima conservatio & propagatio rerum conditarum omnium, quæ fit, ut in Deo vivamus, moveamur & simus omnes. Act. 17. 27. Generali hac actione, & ut causam universalem rerum, quæ fiunt, omnium, Deum in malis actionibus etiam concurrere, non negatur.

52. Neque hinc tamen efficitur, peccati causam esse Deum, qui peccantibus ζωὴν πνοὴν ἢ κίνησιν largitur.

53. Distinguendum enim probè est inter substantiam cuiusque rei ac vires atque actiones naturales, quarum principium est à Deo: & inter vitiositatem adiunctam, cuius ortus ab alio principio pendet.

Quæ

54. Quæ res eleganti similitudine declarata est ab Augustino lib. de perf. Iustit. Nam ut in claudicantis incessu duo considerari possunt, motus nempe ipse ambulationis, & vitium claudicationis, quæ duo quavis coniuncta sint: plurimum tamen discrepant, præcipuè ratione principiorum, dum illa est à potentia locomotiva, hæc à luxatione tibiæ: ita differt, in homine substantia ipsa animæ & corporis, quæque homini insunt, facultates naturales, quibus origo sua dependet à Deo, differt inquam à vitio & peccato tum aliis modis, tum præcipuo isto, quod horum causa ad diversum principium necessario referendum est.

55. Secundo præscientiæ etiam modo in peccatis Deus concurret, quippe quæ communis est omnium tum bonorum, tum malorum.

56. Sed neq; hinc, Deum esse malorum causam, consequitur, ut impiè sentit Calvinus Instit. l. 3. c. 23. §. 6, & Beza Respons. 2. ad Colloq. Montbelg. f. 185, hæc adducta ex principio repetito ratione, quia nihil præsciat Deus, nisi quod ipse efficere velit.

57. Præscientia n. tam non est in Deo efficax agendi principium, quàm non est statim reus mali constituendus homo, qui cognitionem mali habet, cuius notitia in mente sedem habet: perpetratio autem mali, à voluntatis motu proficiscitur.

58. Tertiò, Permissionis modo in peccatis concurret Deus Psalm. 87. 16. Act. 14. 15.

59. Sed enim quod ne sic quidem peccati autor Deus evadat, luculentis rationibus monstrari potest.

60. Excludunt n. sese invicem duo ista, Efficere & Permittere, Permittantur aliena facta: efficiuntur propria.

61. Iam Permissio non volentium est : efficien-
tia, volentium propria. Permittendo ergo malum,
Deus autor & causa mali non constituitur.

62. Quarto concurrere Deus in malis dici po-
test, modo desertionis. Deut. 31. 8. 1. Reg. 12. 22. Pro-
verb. 3. 3. Hebræ. 13. 5.

63. Sed & hinc Deum peccatorum causam esse,
pessimè colligitur. Equidem desertione ista facta, non
potest in homine, nisi peccatum consequi, perinde at-
que non potest, nisi ingravescentia morbi comitari, si
ab intemperante ægroto Medicus discessum faciat.

64. Verùm ut tum Medicus ægroto morbum non
inferit : sed ex seipso oriri sinit : ita Deus desertione
sua peccatoribus malitiam non infundit, sed relin-
quit.

65. Quintò concurrit etiam Deus in peccatis mo-
do gubernationis seu dispensationis atque ordina-
tionis, qua sic coercentur peccatores, ne vel rure
semper, quò volunt : vel finem, quem cupiunt, conse-
qui possint : sed & peccatis metas à Deo præfigi : &
eadem alios longè, quàm sperabant, exitus sortiri
sentiant.

66. Sed ne hinc quidem etiam peccati causa iu-
stè Deo impingitur.

67. Ratio hæc est, Quia ordinatio ista cursum
potius atque exitum, quàm fontem & originem ma-
larum actionum respicit.

68. Licet ergo tot modis in concursum cum pecca-
tis Deus veniat : ratum tamen illud est, nullo istorum
modorum effici, ut causa mali Deo assignanda sit.

69. Stat ergo firmissimè propugnaculum no-
strum, hoc Theologemate comprehensum, Non est
Deus

Deus causa mali. Quod Fulgentij verbis vestitum hinc iamlibet in publicum producere, Sicut peccatum in Deo non est: ita peccatum ex eodem non est. Quod autem ex eo non est, opus eius utique non est.

70. Castellum hoc munitissimum hostili manu impetivit primùm Libertinorum cohors, sic appellata à studio religionis in meram licentiam conuerso, quam Petrus Viretus l. 2. de Ministerio Verbi, facit Catabaptistarum prolem: fanaticum hominum genus, inquit ille, in quo iure credas revixisse Gnosticos & Valentinianos.

71. Calvinus in lib. contra eosdem nominatim scripto, in Gallia Quintinistas appellati scribit, à Quintino quodam Sartore Piccardo, de quibus scribit, quod Deum esse peccati autorem docuerint, quod ipsum dogma à Simone Mago originem sumpserit.

72. Bullingerus l. 2. cont. Anabaptistas, tribuit illis, quod Deo peccati causam ascripserint, & peccati Cain, Saulis & Iudæ operatorem constituerint.

73. Memoratu hoc dignum est propterea, ut hinc gens Calviniana verè esse ἀνομιαν ἐπινοήσασθαι intelligatur. Hæc enim ipsa est, quæ hæresin istam Libertinam tandem suam fecit.

74. Faciunt hoc nonnulli directè atque expressè, minimè, abhorrentes ab hoc dicto, Deum esse peccati causam, ut fatetur Martyr loco mox allegando.

75. Imò sunt, qui lapsus Adamici, incestus Absolonis, proditionis Iudæ, abnegationis Petri & similia peccatorum, Deum æquè fuisse autorem, non cohorrescunt scribere, atque conversionis Pauli. Cinglius Thes. orthod. fidei f. 57.

76. Quod horribilius est, Cinglius Adamum protoplastum ad peccandum etiam coactum fuisse scribit, lib. de Providentia. c. 6.

77. Alij autem indirectè & implicite hoc faciunt, Deum nimirum effectorem omnium peccatorum constituendo: non tamen causam & autorem.

78. Versatur in huius causæ pessimæ defensione operosa Petrus Martyr comment. in 2. Samuel. 16. folio. 277.

79. Beza istā blasphemiam ex professo propugnat in Respon. 2. ad Colloquium Montbelg. fol. 175. &c. his verbis, Malorum malas voluntates à Deo non tantum frenari & regi: sed etiam moveri, & ad id, quod ipsi libuit, conandum, vel etiam perficiendum inclinari: subiecta hac appendice, Nec propterea Deum ullius mali operis autorem esse.

80. Aut mens istis hominibus tota occæcata est, ut quid ipsi dicant, non intelligant: aut è cerebro labo- rare, omnes, quotquot vivant, homines existimant, si hoc persuaderi hominibus posse autumant, Deum peccati effectorem quidem dici posse: autorem autem & causam peccati dici non posse.

81. Synonyma n. certè, & æquipollentia ista sunt, Effectorem mali, & causam seu autorem mali esse: nisi efficientem ex numero atq; ordine causarum expungere libeat. Sed abeant fanatici, quò digni sunt. Nos ad doctrinam veritatis exponendam transitum faciamus, quæ paucioribus, ut habet plerumq; veritatis oratio, expediri potest.

82. Causa peccati vera & propria, duplex statuitur, immediata & propinqua una: mediata altera & remotior:

Illam

83. Illam, in voluntate ipsa hominis ponimus:
alteram ad diabolum referimus.

84. Vtriusq; in operando neque modus est idem:
neque vis etiam similis: sed differens utraque & dissi-
millima.

85. Prior, interna: altera, externa est peccati causa.

86. Illa, directè: posterior, indirectè peccatorum
causa existit.

87. Peccati attributum proprium cum sit τὸ ἐκεί-
σιον, ut sit voluntarium: hinc fit, ut proximum & imme-
diatum actus peccati principium sit, Voluntas.

88. Movetur autem voluntas modo duplici: vel
interno: vel externo,

89. Internè voluntas non movetur, nisi vel à se-
ipsa: vel à Deo.

90. Ad malum volendum, Deus hominis volun-
tatem nunquam movet aut inclinat. Non est n. Deus
volens iniquitatem.

91. Sola ergo hominis voluntas hac parte dire-
ctè peccati causa est.

92. Externè voluntas movetur per obiecta, id-
que potissimum trifariam: vel ut per nudum obie-
ctum, iuxta illud vulgatum, Obiecta movent sensus:
vel κατὰ ἀφορμὴν & occasionaliter: vel impulsivè ex
persuasione.

93. Ex primo modo, nimis frequens est, ut ad pec-
candum voluntas moveatur.

94. Secundo & tertio modo, & homo, & diabo-
lus homini ad peccandum instigator esse potest: ve-
rùm neque sufficiens, neque necessaria peccati causa
hinc nascitur: sed occasionalis duntaxat.

Est

95. Est ergò ingens discrimen operationis diuinæ in patrandis operibus bonis, de quibus Ecclesia canit, Omnia opera nostra tu in nobis operatus es Domine. Esa. 26. 12. & suggestionis diabolicæ, ex qua peccata proficiscuntur. Istic efficaciter cooperantem habemus Deum: In his instigans duntaxat est diabolus.

96. Quæ res & excitatiores nos reddere debet ad pietatis & piarum precum studium: & vigilantiores, ad observandas, vitandasque diaboli insidias.

97. Patet in idem vanitas & nullitas excusationis eius, qua vulgus hominum uti solet, ut creberrima: ita opinione sua, omnium iustissima, dum maximam culpæ partem à se remotam putant, si diabolum imposturæ & deceptionis reum agant. Quæ illa est sophistica, qua admissio peccato ut primùm sunt excæcati protoplastorum oculi, dum Eua respondit, Serpens decepit me. Genes. 3. 13. Cuius effugij vanitatem, sententia mortis ostendit, quæ à Deo lata fuit.

98. Quoad directam peccati causam, rectissime ea ad voluntatem humanam refertur.

99. De peccato Adami, protoplasti, id est liquidissimum, qui quò in statu integritatis maiori libertate præditus fuit: quorsum nisi ad voluntatem ipsius, primitivam transgressionem referendam esse censebimus?

100. Quodnam enim superioris naturæ principium dari queat, cuius vi ad peccandi necessitatem iste illigatus fuerit?

101. Neque sanè in illo integritatis statu, in ipsa natura hominis quicquam fuit, quod necessitatem peccandi ipsi attulerit.

Restat

102. Restat ergò vt externo instigationis dun-
taxat, & interno voluntarij obsequij principio ad
peccandum protoplastus impulsus fuerit, qui sic qui-
dem conditus à Deo fuit, vt labi, si vellet, posset: sed
& ea præstantia valuit, vt si vellet idem, labi non pos-
set.

103. Neq; est, vt cum Deo rixemur, cur labilem
hominem condiderit, & non potius ad integritatem
confirmatum?

104. Arbitrij istud diuini fuit. Et neque Deos
sanè, Angelis ipsis superiores: sed homines Deus
condere voluit: & non necessario, sed voluntario ob-
sequio ab homine coli, quem ad præstandum istum
sufficiente etiam gratia instruxerat. Vt aliò, quàm ad
voluntatis internum principium, primi hominis pec-
catum referre, prorsus sit & ἀλογον, & ἄθεον.

105. Quoad peccata reliqua: ita quidem proh
dolor, iam est comparatum, ut ex isto lapsu in natura
nostra hæreat aliqua peccandi lex & necessitas, Rom.
7.23.

106. Verùm opera & fructus istius malignæ ra-
dicis nunquam excresecunt, quin voluntatis motus in-
terueniat, ut voluntarium aliquo modo dici possit
peccatum, quodcunque ab homine committitur.

107. Doctrinæ huius firmamentum egregium
habetur in loco illo Euangelico Ioan. 8.44. ubi Chri-
stus inquit, Diabolus homicida erat ab initio. Cum
mendacium loquitur, ex proprio loquitur. Quoniam
mendax est, & pater mendacij.

108. Differt quidem in ipso etiam diabolo Sub-
stantia eius & Mendacium, quorum illa alieni est prin-
cipij, diuini scilicet: hoc, propriij.

C

Verùm

109. Verum & proprium habet ille & ab initio non creationis, sed apostasia à Deo in tempore commissa, habet mendacium, idque habet, ut pater mendacij, quia ex seipso solo, cum nemo ipsi instigator esset, perduellis Deo factus fuit. Ex quo fit etiam, ut peccati autor, & mendacij pater merito statuatur.

110. Alludit huc alterum canonicum testimonium. I. Ioan. 3. 8. Qui facit peccatum, ex diabolo est. Quoniam ab initio diabolus peccat.

111. Alterius membri veritati testimonium illud Apostolicum perhibet Rom. 5. 12. Per hominem intravit peccatum in hunc mundum. Intelligit autem protoplastum, cuius voluntario motu quia lapsus admissus fuit: merito per ipsum & ipsius auctoramento in vectum esse peccatum dicitur.

112. Subscribit huic Euangelista I. Ioan. 2. 16. ubi malum omne, quod in mundo est, non ex Patre: sed ex mundo id est, ex hominibus ipsis esse affirmatur.

113. Ne hinc sit, quod discentem remorari possit, paucos quosdam, qui in hac doctrina occurrere possunt, scrupulos eximemus.

114. Vulgò illud decantantur est, Quidquid est causa causæ, viderur etiam esse causa causati. Sed Deus causa causæ est, qua peccatum committitur, voluntatis scilicet humanæ. E. etiam peccati.

115. Propositio argumenti prior, incerta: altera; falsa est. Cuius sit ergo valoris conclusio, luce sua apparet.

116. Axioma philosophicum, teste Aristotele, valet duntaxat in causis immediatè subordinatis, & per se moventibus, ubi in effectibus causarum secundarum non fit discessus ab ordine, quo causæ primæ secunda subiungitur.

Vbi

117. Vbi ergo causarum ordo rumpitur: reductio effectuum in secundis causis, ad primam causam non procedit.

118. Iam hinc de voluntate humana non per se, quatenus est facultas naturalis homini à Deo indita, quaeritur: sed de vitio & ἀραξία eius, peccato scilicet, quod à recta & conveniente causarum τάξει atq; serie non dependet. Non enim ordine creationis provenit ab humana voluntate peccatum: sed ratione corruptionis, qua à primæ causæ ordine exorbitatum fuit. Unde ad primam causam eius nulla fieri potest reductio.

119. In propositione altera falsò asseritur Deus esse causa causæ peccati. Nam voluntas, quatenus à Deo est, & causæ suæ primæ in creationis ordine subditur, peccati causa non est: verum quatenus ab ordine suo egressa, alij principio subijcitur, diabolo scilicet. Nullus ergo in argumento isto nervus est.

120. Angit etiam nonnullos illud Apostolicum Act. 17. 28. quo asseri illud videatur, Motum atq; actionem omnem pendere à Deo, motore summo ac primo. At peccata, motus sunt & actiones, profectæ ab hominibus, seu causis secundis, quæ motori primo subsunt. Unde in ipsum motorem primum videatur causa peccati redundare.

121. Hic resumpta distinctione illa opus est, qua inter actionem ipsam quamcunque, & vitium seu ἀραξίαν, quæ in eadem actione est, discernitur.

122. Actiones, quæ tales sunt, à Deo utiq; sunt: Sed sic limitatæ, peccata non sunt. Ab actionib; ergo simpliciter sic dictis, ad actiones vitiosas, vitiosa fit collectio.

123. Iam illud facile largimur, Creaturas & causas secundas ac particulares, non agere sine prima atque

universali. Sed ne hinc quidem mox illud efficitur, qualitatem vitij in actionibus ad causam universalem & primam: ac non potius ad proximam seu propinquam referendam esse.

124. Vt hoc, quale sit, intelligatur, tria sunt, quæ in omni opere concurrunt, principia, 1. Universale, quod est Deus, 2. Commune, quod Natura est, 3. Proximum, quod est facultas naturæ singularis, quæ in actionibus moralibus est ipsa voluntas humana.

125. In hoc concursu principiorum ad cuiusque operis productionem ita se res habet, Primum, Superius principium inferiori nihil derogat: sed suas agendi vires relinquit, Vnde est quod Augustinus dicit, de Civit. Dei l. 7. c. 30. Deum sic administrare omnia creata, ut etiam ipsa proprios motus exercere sinat: puta, si non extraordinarij & præternaturalis actus exceptio obtingat.

126. Deinde si ad unius operis productionem causæ subordinatæ plures concurrunt: effectus ultimus non primæ, non mediarum: sed proximæ tantum causæ conditionem sequitur.

127. Denique ad actiones bonas requiritur, ut omnia principia sint bona: de malis, ex uno etiam malo principio iudicium sumitur.

128. Hinc illud efficitur, cum actionum humanarum causa proxima sit ipsa voluntas humana: ut bonæ aut malæ appellentur, non à prima causa discriminis rationem petendam esse: sed à proxima & particulari.

129. Offendit nonnullos etiam τὸ ἀγιογράφου tum verborum, tum sententiarum forma.

130. In illo genere est, quod Deus Indurare Exod.

4. 21.

4.21. Rom. 9. 18. Deut. 2. 30. Excæcare. Esa. 6. 10. Io-
an. 17. 40. Tentare & in tentationem inducere. Deut.
13. 3. Matth. 6. 13. Decipere Ezech. 14. 9. tradere in
sensem reprobum. Rom. 1. 18. Mittere efficaciam er-
roris 2. Thes. 2. 11. Dare spiritum mendacij 3. Reg.
22. 23. 2. Paralip. 18. 21. dicitur. Quibus verbis Deo
sanè vis actuosissima in malis hominum actionibus
tribui videatur.

131. In altero ordine hæc sunt, in quibus Deus
pessimorum operum seipsum autorem constituere vi-
deatur, qualia fuerunt, Missio Iosephi in Aegyptum
Genes. 45. 8. traditio uxorum Davidicarum in sinum
Absalomi 2. Reg. 12. 11. præceptum calumniæ, qua
Dauidi Senior malediceret. 2. Reg. 16. 10. Defectio
tribuum Israeliticarum. 2. Paral. 11. 4. & quæ sunt
alia, huius generis plurima.

132. Primum certa est illa Grammaticorum He-
bræorum regula, Verbis actiuis in Scriptura non sem-
per efficacem actionem: sed alios effectus notari, qui
quamcunque modificationem patiantur. Exempla
sunt manifesta Deut. 20. 16. non viuificabis omnem
animam. Exo. 1. 17. obstetrices viuificarunt pueros Is-
raeliticos. Ios. 2. 13. Viuificabitis patrem &c. Sic mun-
dificandi & contaminandi verba Leuit. 13. 13. Iustifi-
candi & non iustificandi termini Prover. 17. 15. usur-
pantur. In quibus verbis cum rigor literæ non valeat,
interpretationem fidei analogicam arripiendam esse,
res ipsa docet. Quæ quæ sit, ex his, quæ suprâ dicta
sunt, constabit.

133. Iam opera sunt non pauca, in quibus duo
differensissima locum habent, Actio nempe, atq; Passio:
Item Culpa & Poena, Exempli gratia, In defectione

10. tribuum Israelitarum, & culpa fuit facti: & poena supplicij. Illa populi fuit propria: hanc ad Deum referre, nihil prohibet. Nam ex permiffa operum istorum, ipsi poenae materia suppeditatur, quae est iustissima.

134. In quibus vero factis peccata peccatis puniuntur, vbi neque actio, neque passio est honesta, & is qui peccatur, tum agendo, tum patiendopeccet: in his nihil Deo proprie: sed figurate & improprie assignari, certum est.

135. Quod fit trifariam potissimum. i. Cum subtracta gratia nil nisi impietas extrema sequatur, in reprobum sensum tradere Deus dicitur, quibus recti sensus gratia subtrahitur, vel, vt Augustinus loquitur. Non indurat Deus impertiendo malitiam: sed non impertiendo misericordiam. Epist. 105.

136. Deinde quia in exequendis iudicijs suis Deus ministro Satana vtitur: hinc Deo interdum tribuitur, quod est peractum à Satana, ministerio tamen Dei interuim defungente.

137. Tertio quemadmodum occasione orti solis per accidens fit, vt lippientium oculi doleant: ita fit interdum vt occasione verbi, miraculorum & beneficiorum diuinorum, in furorem maiorem vertantur animi intractabiles. Huius ergo generis effectus quando Deo tribuuntur, non cum rigore, sed cum legitima salis mica sententias istas esse accipiendas, facile videt, qui non prorsus nihil videt. Sit bene dictus in seculorum aeternitates Deus auctor boni, boni omnis causa & principium, à quo & culpa, & actio mali vniuersa abest, qui nos à malo maliq; causa omni liberatos, tandem ad beatissimae immortalitatis possessionem afferat, Amen.

F I N I S.

ce.
m
o.
i.
i-
is
in
si-

b-
c-
n-
r.
on

i


ca

lis
n-
o-
ni
o
ca
n
is
i-
ui




AB 166 078

(X 1999 4896)



№ 41





DISPUTATIO
THEOLOGICA

DE CAUSA
PECCATI

*Ad cuius positiones auspice patre illo luminum, à
quo omne bonum desuper est.*

SUB PRAESIDIO

Georgij Mylji Doctoris, &
Professoris Theologi primarij in Aca-
demia Ienensi.

PUBLICE RESPONDEBIT

M. Henricus Holscherus Osnab.
Vestph.

Cal. Martij, Hora & loco consuetis.



IENAE

Ex Typographico TOBIAE STEINMANNI,
CIC. ID. C.

